



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Vita Et Honestate Canonicorvm, Et Aliorvm
Ecclesiasticorvm Specvlvm**

Langhe-Cruys, Johan

Duaci, 1587

Super forma iuramenti professionis fidei Pij Papæ quarti bullæ. cap.iii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63733](#)

8 DE VITA ET HONESTATE

quos spectat, pro religionis, & disciplinae ecclesiasticae augmentatione emendentur, & statuantur. Quæ vero vniuersitates immediate summi Romani Pontificis protectioni, & visitationi sunt subiectæ, has sua Beatitudo per eius delegatos eadem, qua supra, ratione, & prout ei utilius visum fuerit, salubriter visitari, & reformari curabit.

Super forma iuramenti professionis fidei Pij Papæ quarti bullæ.

C A P V T I I I .

IN V N C T V M nobis Apostolicæ seruitutis officium requirit, ut ea, quæ Dominus omnipotens ad prouidam ecclesiæ suæ directionem, sanctis Patribus in no-

*a Sess. 24. de
refor. cap. 1. &
12. Sess. 25. de
reform. cap. 2.
A quibus hec
fidei professio
fieri debet.*

*Vnus eiusdem
que fidei uni
formis debet ef
fere professio.*

*Forma profes
sione fidei.*

mine suo congregatis diuinitus inspirare dignatus est, ad eius laudem & gloriæ incunctanter exerci properemus. Cum itaque, iuxta concilij Tridentini dispositionem⁴, omnes, quos deinceps cathedralibus, & superioribus ecclesiis præfici, vel quibus de earum dignitatibus, canonibus, & aliis quibuscumque beneficiis ecclesiasticis, curam animarum habentibus prouideri cōtinget, publicam orthodoxæ fidei professionem facere, seque in Romanæ ecclesiæ obedientia permanuros, spondere, & iurare teneantur: Nos volentes etiam per quoscumque, quibus de monasteriis, conuentibus, domibus, & aliis quibuscumque locis, regularium quorumcumque ordinum, etiam militiarum, quocumque nomine, vel titulo prouidebitur, idem seruari, & ad hoc, vt vnius ciudem fidei professio vniiformiter ab omnibus exhibeat, nostræ locaque & certa illius forma cunctis innotescat, nos tenore presentium distritè præcipiendo mandamus, huiusmodi sub tenore: Ego N. firmæ fidei credo, & profiteor omnia, & singula quæ continentur in symbolo fidei, quo sancta Romana ecclesia vtitur, videlicet: Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cali & terre, visibilium omnium

& illarum

& inuisibilium; Et in vnum Dominum Iesum Christum filium Dei unigenitum, & ex Patre natum ante omnia secula; Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero: genitum non factum consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt: qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de celis; & incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine, & homo factus est: crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus & sepultus est: & resurrexit tertia die secundum scripturas: & ascendit ad celos, sedet ad dexteram Patris: & iterum venturus est cum gloria iudicare viuos, & mortuos, cuius regni non erit finis: & in Spiritum sanctum Dominum, & vivificantem, qui ex Patre, Filioque procedit, qui cum Patre & Filio simul adoratur, & conglorificatur, qui locutus est per Prophetas: & unam sanctam catholicam, & apostolicam ecclesiam. Confiteor unum baptismum in remissionem peccatorum: & expecto resurrectionem mortuorum, & vitam venturi seculi. Amen. Apostolicas, & ecclesiasticas traditiones, reliquasque eiusdem ecclesiae observationes, & constitutiones firmissime admitto, & amplector. Item sacram scripturam iuxta eum sensum, quem tenuit, & tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, & interpretatione scripturarum, admitto: nec eam unquam nisi iuxta unanimem consensum Patrum accipiam, & interpretabor. Profiteor quoque septem esse verae, & propriae sacramenta nouae legis a Iesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria: scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, extremamunctionem, Ordinem, & Matrimonium: illaque gratiam conferre: & ex his Baptismum, Confirmationem, & Ordinem, sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque & approbatos ecclesiae catholicae ritus, in supradictorum omnium sacramentorum solenni administratione recipio, & admitto; omnia, & singula, que de peccato originali, & de iustificatione in SS. Tridetina Synodo definita & declarata fuerunt, amplector, & recipio: Profiteor pariter in missa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium sacrificium pro viuis & de-

A. V. functis;

functis; atque in sanctissimo Eucharistiq; sacramento est
verè, realiter, & substancialiter corpus, & sanguinem, va-
cum anima, & diuinitatem Domini nostri Iesu Christi, si-
rique conuersiōnem torius substantiae panis in corpus,
& totius substantiae vini in sanguinem: quam conuersio-
nem catholica Ecclesia transsubstantiationem appellat.
Fateor etiam sub altera tantum specie totum atque inte-
grum Christum, verumq; sacramentum sumi. Con-
stanter teneo purgatorium esse, animasq; ibi detentas
fidelium suffragiis iuuari. Similiter & Sanctos vna cum
Christo regnantes venerando atque inuocando esse,
eosq; orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum
reliquias esse venerandas. Firmissime assero imagines
Christi, ac Deiparæ semper Virginis, necnon aliorum
Sanctorum habendas, & retinendas esse, atque eis debi-
tum honorem ac venerationem impartiendam. Indul-
gentiarum etiam potestate à Christo in Ecclesia reliquias
suisse, illarumq; usum Christiano populo maximè sa-
lutarem esse, affirmo. Sanctam catholicam, & Apostoli-
cam Romanam Ecclesiam omnium ecclesiarum matrem,
& magistrum agnosco: Romanoq; Pontifici, beati Pe-
tri Apostolorum principis successori, ac Iesu Christi
vicario veram obedientiam spondeo, ac iuro: Cetera
item omnia à sacris canonibus, & oecumenicis cōciliis,
ac præcipue à SS. Tridentina Synodo tradita, definita,
& declarata, indubitanter recipio, atq; profiteor; simulq;
contraria omnia, atque heres quascumque ab Ecclesia
damnatas, & rejectas, & anathematizatas, ego pariter
damno, reicio, & anathematizo. Hanc veram catholicā
fidem, extra quam nemo saluus esse potest, quam in pre-
senti sponte profiteor, & veraciter tenco, candē integrā,
& inuiolatam, vsq; ad extreūmū vita spiritū constan-
tissimē (Deo adiuuante) retinere, & confiteri, atque à
meis subditis, & illis quorum cura ad me in munere meo
spectabit, teneri, doceri, & prædicari, quātum in me erit,
curaturum, ego idem N. spondeo, voueo, ac iuro. Sic
me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia.

Volumus autem, quod presentes literæ in Cancellaria
nostra Apostolica de more legantur: & vt omnibus faci-
lius pateat, in cuius quinterno describantur, ac etiam im-
primantur.

primantur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ voluntatis, & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatitudinum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursum. Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno incarnationis Dominicæ 1564. Idibus Nouembbris; Pontificatus nostri anno quinto.

De studio, doctrina, ac institutione clericorum. CAP. IIII.

OMNIS VS, vt D. Ambrosius inquit^a, hominibus a lib. I. offic. inest secundum naturam humanam verum inue- cap. 16.
stigare, quod ad studium cognitionis, & scientia-
trahit, & inquirēdi insundit cupiditatem. Nihil est enim
magis, quo homo ceteris animantibus p̄stet, quām
quod rationis est particeps. Causas rerum requirit, gene-
ris sui authorem inuestigandum putat, in cuius potestate
vitæ, necisq; nostræ potestas sit, qui mundum hunc suo
nuu regat, cui sciamus rationem esse reddendam nostro-
rum actuum. In quibus excellere vniuersis pulchrum vi-
detur, sed paucorum est alsequi, qui voluendo cogitatio-
nes, consilia examinando, non mediocrem imp̄dunt la-
borem, vt ad illud beatè honesteq; viuendum peruenire
possint, atq; operibus appropinquare. Nō enim qui dixe-
rit, inquit^b, mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum b Matt. 7, cap.
cælorum, sed qui fecerit ea, quæ dico. Nam studia sciætiae
sine factis, & bonis operibus, haud scio an etiā inuoluant
magis. Scientia enim, vt D. Paulus ait^c, inflat, charitas c 1. Corinth. 8,
vero ædificat. Nihilominus, quanto excelsior virtus est
sapientia, tanto magis enitendum esse arbitror omnibus
clericis, vt eam alsequi possint. Siquidē à Gelasio Papa
constitutum legitur^d; vt illiteratos nullus præsumat ad d c. illiteratos.
clericatus ordinem promouere: quia literis carens, sacris
non potest esse aptus officiis. Ignorātia enim mater cun- diff. 36.
ctorum errorum est, debetq; maximè à sacerdotibus Dei
euitari, qui docendi officium in populo Dei suscepérunt.
Nam hi ex decreto concilij 4. Toletani^e scire debent
sanctas scripturas, & canones: & omne opus eorum in
predicatione, & doctrina consistit, vt ædificant cunctos
tam fidei scientia, quām operum disciplina.

Quare

Omnes homi-
nes ad verum
inuestigandum
propensi sunt.
Homo Christia-
nus in quo ca-
teris animan-
tibus p̄stet.

b Matt. 7, cap.

c 1. Corinth. 8,

d c. illiteratos.

diff. 36.

Illiterati ad
dericatum non
sunt provo-
nendi.

e Cœcil. Toletani

4. cap. 24. c.

Ignorātia, diff.

38.